



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 135. Aquitanniæ Dux, Ludovici XI. Galliarum Regis frater mortuus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.
A.C. 1472.

§. CXXXV.

Aquitanniæ Dux, Ludovici XI, Galliarum Regis frater mortuus.

Equidem pax inter Galliarum Regem, & Burgundiæ Ducem decreta fuit, nullatenus tamen rata habebatur, quantumcunque de ejus firmitate utrinque juratæ fidei intercessissent sponſiones; quippe Burgundus quamvis Regem ceteroquin promiſſis ſuis ſtare minus aſſuetum noſſet, haud ſatis tamen mirari poterat, quod juramenti fidem, qua ſe tanta ſolemnitate Andegavi ante Crucem S. Latonis obſtrinxerat, violaret. Verum facile hujus perjurii cauſam cogitatione ſua aſſequi poterat; cum enim Ludovicus Rex hanc pacem eo potiſſimum conſilio iniſſet, ut Aquitanniæ Ducem a Burgundi ſocietate avelleret: ideo ſancitas concordiæ leges, ſimulac Carolum Aquitanniæ Ducem graviter decumbere compererat, firmare tergiverſabatur; cum ergo eveniente Aquitanni obitu mutua inter ambos Duces amicitia diſſoluta eſſet, haud difficulter conjici poteſt, quantum Regis intererat, in hac cunctatione rebus ſuis opem quærere. Idipſum etiam Rex facere conſtituit, donec Aquitanniæ Ducis mortem intellexiſſet. Obiit ille Burdegaliæ hoc anno die duodecima

cima Maji. Rumor erat, Ducem subla-
 tum fuisse veneno, quod ei Engeriaci seu Sæcul. XV.
A.C. 1472.
 Angeliaci Joannes Taure Verfoianus Or-
 dinis S. Benedicti, ac in Monasterio ejus-
 dem urbis Abbas propinasse dicitur; non-
 nulli enim in suspitionis hujus argumen-
 tum adducunt, quod Montforioli filia
 Ludovici de Ambasia Thoraciensis Vice-
 comitis vidua cum Aquitano Duce
 prandium sumpsisset, ac secunda vel ter-
 tia post hora pariter e vivis erepta fuisset.
 Cum igitur ob inopinatum geminæ hujus
 mortis casum ubique varii spargerentur
 rumores, confestim Abbas Lescuni jussu
 comprehensus, Nannetes ducitur, ac in
 quadam turri includitur; dum vero ju-
 dices interea judicii acta instruere para-
 bant, ipse in carcere suo tactus fulmine
 periit. Reperiebatur a custodibus capite
 inflato, necnon facie carboni simillima,
 ac lingua extra os longius protensa dif-
 formis. Unde manifesta culpæ veritas
 haberi non potuit, repentino obitu Viri
 confessionem prævertente. Ceterum Lu-
 dovicus intellecta fratris sui morte, pacis
 condiciones cum Burgundiæ Duce initas
 ratihabere omnino recusabat: Burgundus
 vero, ut injuriam ulcisceretur, totus in
 eo erat, ut Regem molestiis vexaret,
 belloque premeret.

§. CXXXVI.